

DISSERTATIO ACADEMICA  
HISTORIAM DOCTRINÆ  
DE

AFFINITATIBUS CHEMICIS

EXHIBENS,

CUJUS PARTEM DUODECIMAM

CONSENSU AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE GADOLIN,

CHEMIÆ PROFESSORIS PUBL. ET ORD., COLLEGII IMP. MED. ASSESSORE ET  
EQUITÆ ORD. IMPER. DE ST. WOLODIM. IN IVTA CLASSE; ACAD. IMP. SCIENT.  
PETROPOL. ET SOCIET. LIB. OECONOM. PETROP. MEMBRO CORRESP., SOCIET.  
IMPER. NATURÆ STUDIOSOR. MOSCOVIT., SOCIET. IMP. OECON. FENN., ACAD.  
CÆSAR. NAT. CURIOS. ERLANG., REGG. ACADD. ET SOCIETT. SCIENTT. HOL-  
MIENSIS, DUBLINENSIS, UPSALIENSIS, GÖTTINGENSIS, SOCIET. ANTEHAC MED.  
CHIRURG. ET PHARMAC. BRUXELLENsis, SOCIETATIS PHYSIOGRAPH. LUNDEN-  
SIS, SOCIET. MINERALOG. JENENSIS, SOCIET. SCIENT. NATURAL.  
MARBURGENSIS MEMBRO.

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

FILIUS

JACOBUS ALG. GADOLIN,

ABOËNS.

IN AUDIT. PHILOS. DIE IX DEC. MDCCCXVIII.

H. P. M. S.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

*Theses.*

22.

Duae electricitates, *positiva* signo  $\dagger$  E notata & *negativa* per — E signata pro viribus ita oppositis habendæ non sunt, ut se se mutuo penitus destruere possint, cum suo confictu formas tantummodo mutare videantur, efficaciasque deinde ostendere in phænomenis ignis, caloris, lucis, aut cohaesionis corporum.

23.

Quemadmodum duplice ratione corporibus adjungi videtur caloricum, quod vel temperaturam corum augeat vel arctius quasi ligatum delitefest, sic electricitates ad corpora adfluentes aut vires sibi proprias in iis manifestant, aut occultatæ mutationes horum formæ & indolis efficiunt.

24.

Nascuntur itaque oxida metallorum vi accendentis  $\dagger$  E & reducuntur ipsa metalla vi — E. Similiter ad acida e salibus produceenda conductit electricitas  $\dagger$  E, ut & — E ad bases salinas non tam nudandas quam formandas.

25.

Tanto minus iis assentimur, qui existimant propriam acidorum electricitatem esse — E, & per hanc, etiam in salibus servatam, vi affinitatis fusa ad polum electricum  $\dagger$  E e basibus distrahi acida, quanto certius is semper sit affinitatis chemicæ effectus, ut novum prodeat compositum. Ex simili ratione neque erit  $\dagger$  E electricitas basium propria.

26.

Pari ratiocinio concludimus aquam viribus electricitatum oppositorum non dividi in partes heterogeneas inibi ante latentes, sed per diversitates electricitatum duo progigni, ex substantia aquæ, nova composita, alterum vi  $\dagger$  E productum, quod nomine oxygenii venit, alterum hydrogenium per — E ortum,

27.

Phænomena ignis vel caloris sub conjunctionibus corporum affinium prodeuntia, non dubie indicant, abire ex consortio illorum electricitates oppositas, neque vero minus certum esse videtur, quod etiam post conjunctionem in composito retineantur partes earundem electricitatum. Sic in corporibus per oxygenium uscis neque cum oxygenio ipso, neque cum substantia ejus aquæ pura conjuncta habentur substrata inflammabilium.

28.

Verissimum est varias esse proportiones inter  $\dagger$  E, — E, quæ corpora conjuncta deserunt & eas, quæ conjunctis adhuc adhærent, pro diversitate connubiorum & saturatione magis minusve perfecta, non aliter ac varia sit ratio inter liberum latensque in corporibus caloricum.

decrepitati, obtinerentur partes  $19\frac{1}{2}$  sulphatis sodæ per ignitio-  
nem perfecte siccata; & cum ex alio experimento cognosceret,  
8 partes acidi sulphurici necessarias esse ad expellendum 6  
partes acidi muriatici, liquide patere existimavit, quod 6 $\frac{1}{2}$   
partes sodæ æqualiter sufficient ad formandas 16 partes muria-  
tis sodæ cum  $9\frac{1}{2}$  partibus acidi muriatici, atque ad producen-  
das  $19\frac{1}{2}$  partes sulphatis sodæ cum 13 partibus acidi sul-  
phurici. Hocce SCHEFFERI præceptum, paradoxum chemicis  
visum, utpote doctrinæ, ab HOMBERGII inde tempore (5i) ac-  
ceptæ, contrarium, experimentis sollicita cura repetitis exami-  
nare suscepserat BERGMAN. Quantitates alkali puri in alkalibus  
vulgaribus ita determinavit. Fugata vi ignis horum aqua,  
detrimentum ponderis inde ortum observavit. Pondus acidi  
carbonici invenit, explorata jactura ponderis per solutiones al-  
kalium in liquoribus acidis facta. Subtractis deinde quantitati-  
bus harum substantiarum ex dato alkali vulgaris pondere, ha-  
buit quantitatem puri alkali. Qua cognita, & facta saturatione  
cum

---

(5i) Quemadmodum liquor quicunque acidus ejusdem speciei tanto  
majorem saturare indubitate veleat basis alkalina copiam, quanto  
majorem habet aciditatem, sive quanto minus ipsi insit aquæ; sic etiam  
putaverunt chemici, dependere efficaciam diversorum acidorum al-  
kalia saturandi a quantitate veri acidi in singulis hærente, quæ  
fortitudinem eorum efficere vulgo credebatur. Attamen neque huic  
opinioni faverunt experimenta HOMBERGII. Experimentis enim, in  
*Memoires de l'Acad. Roy. des Sciences de Paris année 1699* rela-  
tis, invenerat unciam unam subcarbonatis potassæ (saliis tartari)  
per saturationem cum acido nitrico, in sal solidum neutrum con-  
versam, acquisiuisse ponderis augmentum drachmarum trium & gra-  
norum decem, eandem similiter ex acido muriatico austam fuisse  
drachmis tribus & granis quattuordecim, ex acido sulphurico drach-  
mis tribus & granis quinque, ex aqua forti drachmis tribus &  
granis sex, ex aceto drachmis tribus & granis sex: existimans his  
ponderum augmentis indicatas fuisse versus acidorum saturantium  
quantitates, cum illo zwo ignorum eset, jacturam ponderis fieri  
ex acido carbonico potassæ fugato.

cum acido quodam, bilance investigavit pondus salis neutri producti, & ignitione siccata, in quo per subtractionem ponderis alkalini, detexit quantitatem acidi saturantis. Et sic quidem confirmatam esse vedit positionem SCHEFFERI. Deprehendit enim datam substantiae alkalinae quantitatem, unitati æqualem, sequentes feorsum saturavisce quantitates acidorum: scilicet  
**POTASSAM:** acidi sulphurici partes 0,785; acidi nitrici 0,64;  
 acidi muriatici 0,515; acidi carbonici 0,47.  
**SODAM:** acidi sulphurici 1,77; acidi nitrici 1,355; acidi muriatici 1,25; acidi carbonici 0,80.

Similiter majores fortiorum alkali vel terrarum quantitates, quam debiliorum, ad datum quodvis acidum saturandum necesarias esse conclusit, cum inveniret (5k) ad saturationem unius sui partis poscere.

**ACIDUM SULPHURICUM:** potassæ partes 1,275; sodæ 0,565; ammoniacæ 0,42.

**ACIDUM CARBONICUM:** barytæ 9,26; calcis 1,62; magnesia 1,5.

WIEGLEB experimenta hæcce repetere conatus vidit potassam minoribus acidorum quantitatibus saturari quam sodam, at contra assercionem BERGMANNI perhibuit datam utriusque alkali fixi quantitatem, ad saturationem requirere maximam acidi nitrici copiam, minorem acidi sulphurici & minimam acidi muriatici (5l). Fidem quidem experimentis WIEGLEBI detrahere visa est assertio, quod, expulso, vi diversorum acidorum, acido carbonico, admodum inæqualiter diminui inveniret æquale pondus ejusdem alkali fixi. Attamen non adeo repugnaverunt inventa recentiorum, contra conclusionem ejus de partium salinarum proportionibus.

Opi-

---

5k) *Opuscules Vol. I. de acido aëreo p. 20, 33*

5l) CRELL *neueste Entdeckungen in der Chemie VII Th. S. 7 — 16.*

Opinionem porro veterum chemicorum subverterunt, quæ neque experimentis BERGMANNI ex asse confona fuerunt conamina WENZELII summa cura & exactitudine explorandi quantitates substantiarum diversarum, datum acidi cuiusvis pondus saturantium (*sm*). Ipse quidem minime ursit gradus affinitatum hac ratione determinandos esse, cum vero alii ex similibus experimentis fundamenta pro computatione eorum sumerent, conclusiones ex egregio WENZELII opere erutas exhibebimus. Sic, secundum eum, datum acidi pondus, sive hujus unitas sequentes variarum substantiarum quantitates suscipere valebit. nempe

## ACIDUM SUL-

**PHURICUM:** *camphoræ* 3,483; *plumbi* 2,504; *argenti* 2,179; *stanni* 1,291; *aluminæ* 1,287; *potassæ* 1,208; *zinci* 0,858; *cupri* 0,795; *sodæ* 0,791; *terræ dentium elephantis* 0,753; *ferri* 0,729; *ammoniacæ* 0,700; *terræ ostrearum* 0,671; *oxidi cobalti* 0,620; *hydrargyri* 0,587; *magnesia* 0,550; *bismuthi* 0,262; *pigmenti indigo* 0,127; *phlogisti* 0,067 (*sn*).

## ACIDUM

**NITRICUM:** *camphoræ* 7,183; *hydrargyri* 3,454; *plumbi* 3,333; *stanni* 1,950; *argenti* 1,800; *aluminæ* 1,454; *terræ dentium elephantis* 1,062; *bismuthi* 1,0 0; *ferri* 0,933; *potassæ* 0,925; *oxidi cobalti* 0,616; *sodæ* 0,600;

*5m) Lehre von der Verwandtschaft der Körper.*

*5n) Dixit se, experimento ad præscriptum STAHLII instituto, compensis- se, quod 16 partes sulphuris unam phlogisti & 15 acidi partes contineant. Præscriptis vero STAHLI, ut ex liquefacto sulphate potassæ cum alkali fixo pér additum carbonum pulverem reduceretur sulphur. (Opus Chym. phys. Med. p. 319. Exp. Obser. & Annadv. CCC. §. 28 &c.)*

0,600; zinci 0,533; cupri 0,533; calcis 0,503; ammoniacæ 0,495; magnesiae 0,387; phlogisti 0,258 (50).

## ACIDUM MU-

RIATICUM: argenti 3,037; plumbi 2,666; aluminae 2,603; terræ dentium elephantis 2,104; magnesiae 1,962; stanni 1,850; potassæ 1,833; bismuthi 1,745; zinci 1,354; oxidi cobalti 1,300; sodæ 1,191; cupri 1,137; ferri 1,054; ammoniacæ 1,038; antimonii 0,991; hydrargyri 0,983; calcis 0,965; arsenici 0,750; camphoræ 0,541.

## ACIDUM

ACETICUM: plumbi 2,091; oxidi cobalti 1,008; potassæ 1,001; hydrargyri 1,000; zinci 0,820; ferri 0,775; cupri 0,670; sodæ 0,654; ammoniacæ 0,600; calcis 0,520; magnesiae 0,516; argenti 0,422; terræ dentium elephantis 0,158; aluminae 0,086; bismuthi 0,062; stanni 0,014; antimonii 0,005.

Cel. Succow, ut conspicuum redderet relationem inter affinitatum simplicium ordinem chemicis stabilitum, & quantitates basium ab unoquoque acido saturatarum, figuram construxit geometricam, in qua per abscislas rectæ lineæ uniformiter crescentis repræsentabantur affinitates diversarum basium ad acida, & ordinatis ad hanc rectam normaliter ductis significabantur quantitates basium, secundum WENZELII experimenta, ad saturationem necesarias (51). Sic pro singulis acidis, ortæ sunt curvæ irregulares, inter se dissimiles, in quibus sitæ erant ordinatarum extremitates, quæque indicare viæ sunt non omnimodam esse harmoniam inter attractiones electi-

50) In detonatione nitri cum pulvere carbonum observavit 240 partes acidi puri per 62, 78 partes inflammabilem carbonum destrutas fuisse.

51) *Carte neueste Entdeckungen in der Chemie* IX. Th. S. 83—87.

electivas & quantitates substantiarum saturantium. Eam quidem ob causam non accurata satis esse potuit hæc expositio, quod uniformiter progredi putarentur series affinitatum simplicium, quarum crescentiae lex plane incognita fuit. Ipso tamen figuræ aspectu facile cernitur, eatenus regulariter ab alkalibus terrisque alkalinis saturari singula acida, ut minimas illorum quantitates sibi sumeret acidum nitricum, majores acidum aceticum, majores adhuc acidum sulphuricum, maximas acidum muriaticum. Observamus insuper, quod numeris modo recensitis, non exacte significatae sint proportiones partium in salibus metallicis, quoniam loco oxidorum aut oxidulorum, quæ partes salium proximas efficiunt, WENZEL plerumque ipsorum metallorum pondera exhibuit. Hoc itaque respectu correctione egerent illæ series, si justa comparatio omnium membrorum desideraretur.

Inter difficultates iis superandas qui partium in salibus constitutivarum quantitates exactissime definire voluerunt, ingenia maxime torsit accurata aestimatio aquæ in omnibus acidis, basibus salibusque latentis. Hujus quidem partem ex substantiis in igne fixis per vim caloris fugari viderunt. Cum vero nonnunquam ejus adhuc magis per intensiorem & diurniorem ignem depelleretur, discerni vix potuit, utrum in vehementissimo quoque igne omnis discederet humor. At si vel ita omni aqua privari possent substantiæ, quæ ipsæ omnem eluderent ignis vim, alias minus fixas minime licuit eadem ratione ad perfectam redigere siccitatem. Propterea manca plerumque, incerta saltem aut dubia fuit determinatio ponderis singularium partium in sale sicco, sive aqua plene destituto. Hæc perpendens KIRWAN, cum sibi proponeret, accuratius, quam anteriores chemici, investigare proportiones partium salia constituentium, ut inde rationes legum affinitatis dispungeret, necessarium duxit seorsum primum examinare pondera specifica substantiarum ex variis aquæ portionibus dilutarum,  
quo

quo deinde, per computationem, verum pondus substantiarum solutarum & omnem latentis aquae quantitatem cognosceret (5q). Hoc consilio experimenta instituens, mox intellexit crescere pondera specifica acidorum in conjunctionibus & cum variis basibus & cum aqua, indeque certior factus est, quod per vires affinitatum inter se coactentur corpora. Cum vero deinde observaret augmenta haecce densitatum non esse affinitatibus proportionalia, neque in mixtura duarum substantiarum pro ratione crescentis quantitatis alterius constanter variare, atque sensibiliter plerumque incalescere sub mixtione substantias, non dubitavit, quin simul dependeant pondera specifica partium in mixto corpore a calorico inibi latente, quod sua praesentia particulas extendat. Itaque ex hydrostaticis solum experimentis enodari non posse videbantur naturae leges de densitatibus acidorum ac basium in salibus neutratis, & inde proportio partium perfecte cognosci. Propterea, quo firmum obtineret fundamentum computationis, ad hypotheses confugere necesse habuit, duasque adoptavit admodum probabiles fibi visas: unam, quod acidum muriaticum gasiforme aqua plene privatum sit, preindique ipsius pondus veram acidi puri quantitatem indicet: alteram, quod potassa ad saturationem sui aequalia poscat pondera trium acidorum mineralium, sulphurici, nitrici & muriatici.

His positis, facile detexit quantum puri acidi quantumque aquae in acido muriatico liquido, cuius determinatum erat pondus specificum, lateret, indeque explorare potuit quanta acidi muriatici puri copia saturaretur data potassae quan-

5q) *Philosophical Transactions* 1781. P. I. *Experiments and observations on the specific gravities and attractive powers of various saline substances.* Ph. Tr. 1782. P. I. *Continuation of the Experiments &c.* Ph. Tr. 1783. P. I. *Conclusion of the Experiments &c.*

quantitas. Saturata deinde eadem potasæ quantitate cum acidis sulphurico & nitrico, quorum pondera specifica cognita erant, ex quantitate singulorum ad saturationem necessaria intellexit quantum in his quoque liquoribus acidis adeset acidi puri, quantumque aquæ. Tandem per seriem experimentorum, quibus similiter saturavit alias bases salinas, determinatas habuit quantitates ex singulis illis acidis mineralibus puris necessarias ad saturanda reliqua alkalia & terras.

Hæc cum moliretur, ulterius invenit densitates mixtorum, in conjunctionibus inter acida & bases varia proportione factis, tanto minus aberrare a densitatibus partium ante conjunctionem, quanto magis inter se quantitate differant partes, atque simul tanto magis attrahi substantiam quantitate minorem a majore; maximas vero obtingere densitates, minimamque esse affinitatem substantiarum ad punctum saturationis inter se conjunctarum. Hanc ob causam nunquam perfecte succedere judicavit, vi simplicis affinitatis electivæ, decompositio-nes, nisi maximam affinitatem substantiarum antea unitarum supereret minima ad alterutram eorum affinitas substantiæ, quantitate ad saturationem tantum necessaria additæ, sive nisi hæc longe majore admisceatur copia, quam quæ saturatum efficeret connubium cum substantia sibi appetita: quod cum phænomenis a Bergmanno aliisque ante observatis apprime convenit. At in mutationibus, vi affinitatum duplichum perficiendis, comperit, nonnulli quantitates substantiarum se mutuo saturantium considerandas venire. Quibus investigatis & inter se comparatis ad has adductus est conclusiones: 1:o quod quantitas veri acidi, necessaria ad saturandum datum pondus ejusque baseos, sit in ratione inversa affinitatis baseos ad acidum illut. 2:o quod quantitas ejusque baseos, necessaria ad saturandam datam quantitatem acidi ejusdam, sit in ratione directa affinitatis acidi ad basin. Posita itaque quantitate unius ejusque acidi æquali unitati, numeris quantitates alkalium & ter-rarum

rarum illud saturantium significantibus, repræsentabantur gradus affinitatum inter acida & bases. Posunt vero acida, secundum experimenta KIRWANI, ad saturationem suam sequentes basium quantitates: nempe

<i>potassæ, sodæ, calcis, ammoniacæ, magnesiaæ, aluminaæ,</i>
<b>ACIDUM</b>
SULPHURICUM: 2,15 — 1,65 — 1,10 — 0,90 — 0,80 — 0,75
<b>ACIDUM</b>
NITRICUM: 2,15 — 1,65 — 0,96 — 0,87 — 0,75 — 0,65
<b>ACIDUM</b>
MURIATICUM: 2,15 — 1,53 — 0,29 — 0,79 — 0,71 — 0,55.

Hos affinitatum valores a veris non aberrare comprobatum habuit, cum, commixtis binis salibus, utroque ex acido quodam & basi jam nominatis composito, computaret & inter se compararet summam quiescentium & summam divellentium affinitatum. Invenit enim tum, aut illam aut hanc majorem obtineri, prout in connubio aut perfisterent partes salinæ, aut novos præoptantes socios alia formarent salina bina. Et ne absurdâ videretur hypothesis, quod tria acida mineralia aequalē habeant, ad potassam, affinitatem, observavit nequaquam adhuc probatam fuisse inæqualitatem affinitatum, quibus hæc acida vulgo putabantur appetere fixa alkalia, cum perspicuum potius esset, quod plura quoque alia phænomena inæqualibus affinitatibus vulgo tributa, non nisi à diversitate caloris specifici explicanda sint. Evidenter enim effici censuit decompositiones nitratum & muriatum per acidum sulphuricum non propter excedentem hujus acidi ad bases affinitatem, sed propter calorificum ejus acido accedens nitrico aut muriatico, quemadmodum vicissim hæc quoque acida sulphati abundantius addita calorificum suum acido sulphurico transmittentia, hujus partem calorico onustam depellere valeant.

Sali-

Saluum metallicorum duo esse arbitratus est genera diversis modis examinanda, alterum neutrorum in aqua insolubilium, alterum acido abundantium. In illis facili negotio determinatum habuit acidum saturans, cum exploraret, quantum ex liquore acido, antea satis cognito, sufficeret ad perficiendam præcipitationem datae quantitatis metalli in alio quodam menstruo solutæ. Ubi vero non licuit salem metallicum producere saturatum, æstimare conatus est quantitatem acidi excedentis, per assimilationem solutionis salinæ, cum liquore acido sufficienter cognito. Soluto dato metalli pondere in quantitate acidi ad solutionem necessaria, inquisivit quantum ex hoc liquore, quantumque ex acido puro æquales ejusdem tinturæ heliotropii quantitates æqualiter rufarent, indeque quodammodo patefactam esse judicavit quantitatem acidi liberi seu abundantis in solutione metallica. Illam itaque ex toto menstrui acido subtraxit, ut obtineret pondus acidi saturantis. Hac tamen definitione non satis confisus, ex consideratis phænomenis affinitatum duplicium, valores quantitatum acidi non-nihil corrigendos esse autumavit. Cum vero non dubitaret, quin in salibus metallicis saturatis, pariter ac in iis, quæ ex acidis & basibus alkalinis formata essent, affinitates acidi cuiusvis ad singulas bases indicentur per quantitates basium: has, sumta unitate ex quantitate acidi saturantis, numeris designatas, ad repraesentandas affinitatum proportiones obtulit. Sic itaque erunt affinitates

## ACIDI SULPHURICI, ACIDI NITRICI, ACIDI MURIARICIS,

<i>ad oxidum hydrargyri</i>	—	4,32	—	4,16	—	4,38
<i>plumbi</i>	—	4,12	—	3,65	—	4,00
<i>argentii</i>	—	3,90	—	3,75	—	4,20
<i>cobalti</i>	—	3,60	—	3,50	—	3,70
<i>niccoli</i>	—	3,20	—	3,00	—	3,75 3,10
<i>zinci</i>	—	3,18	—	3,04	—	3,12

bis

<i>bismuthi</i>	—	2,50 3,10	—	2,90	—	2,50 3,20
<i>ferri</i>	—	2,70	—	2,55	—	2,55
<i>cupri</i>	—	2,60	—	2,55	—	2,65
<i>arsenici</i>	—	2,60	—	2,20	—	2,90
<i>antimonii</i>	—	2,00	—	1,94	—	1,98
<i>stanni</i>	—	1,38	—	1,20	—	1,30

Animadvertisit hinc conspicuum esse, quod substantiae metallicæ acidis sint magis affines quam ipsa alkalia, quod, quamvis repugnet legibus affinitatum antea acceptis, indubio confirmari existimavit phænomenis, quorum nonnulla adduxit exempla. Sic, si nitrati argenti admisceatur murias fodæ una cum alkali fixo, illico præcipitatur murias argenti, minime vero argentum purum, quod nudatum prodiisset, si efficacior fuisset affinitas alkalinae substantiae ad acidum. Præcipitantur quidem plerumque oxida metallica in acidis soluta per addita alkalia aut terras, hoc vero non vi affinitatum simplicium, sed duplichum semper fieri monuit. Plurimum enim bases istæ salinæ nonnisi partem acidi, ad solutionem metalli, necessariam auferre valent, simulac oxidum metalli ex acido sibi adhærente, vi duplicitis affinitatis tantum recuperet phlogisti, ut acidi societatem deserere posse, & hoc basi alkalinae tradere. Quod oxida metallica rarius decomponere videantur salia ex alkalibus neutra interpretari voluit KIRWAN ex obstantia aeris fixi oxidis fortiter inhærentis. Vedit præterea, affinitates acidorum, ad bases alkalinas & ad bases metallicas, modo expositas apprime consentire cum phænomenis affinitatem duplichum. Dupli valore affinitatis acidi sulphurici ad *bismuthum*, ut etiam acidi muriatici ad *nicolum* & *bismuthum*, indigitavit hæcce metalla minus oxidata (dephlogisticata) infirmius a memoratis acidis attrahi, magis vero oxidata fortius: qua in re differunt a plurimis reliquorum metallorum, siquidem cuncta acida minorem habent affinitatem ad oxida *ferri*, *zinci*, *stanni*, *antimonii*, ultra certum gradum dephlogisticata.

Po-

Postea, cum ad monita a DE MORVEAU & BERTHOLLET data attendens intelligeret experientiae non satis consona ubique fuisse fundamenta computationum suarum, & quidem, incrementa ponderis specifici acidorum cum aqua mixtorum non solum ex condensatione partis vere acidæ, ut prius posuerat, sed simul, & potissimum forsan ex coarctata per affinitatis vim aqua venire, pariterque neque experientia testam esse efficacitatem caloris specifici acidorum, ad invertendum ordinem inter affinitates eorum diversas ad aliquam basin alkalinam, ideoque non satis firmatum fuisse judicium suum de æqualitate affinitatum inter potassam & tria acida mineralia, tutius duxit alia via de quantitatibus partium salinarum inquirere (5r). Aptissima quæ accuratius cognoscerentur ipsi visa sunt salia parum aut nihil aquæ in crystallis suis foventia, qualia esse judicavit salia ex potassa cum variis acidis formata, comperto, quod in muriate potassæ lateat acidum plene adeo aqua destitutum, ac in ipso gale acidi muriatici. Ita novis suscepitis experimentis, & attente consideratis phænomenis a BERGMAN, WENZEL, WIEGLEB &c. observatis, investigare studuit causas omnium diversitatum, tandemque obtulit, quæ veritati proximæ videbantur, rationes quantitatum, quibus alkalia & terræ acidum quodvis faturent. Ex his, æquiparato ad unitatem pondere acidi, sequentes erutæ sunt affinitatum series.

ad potassam, calcem, sodam, magnesiam, ammoniacam	
ACIDI SULPHURICI:	— 1,218 — 0,904 — 0,783 — 0,577 — 0,498
ACIDI NITRICI:	— 1,132 — 0,526 — 0,735 — 0,476 — 0,412
ACIDI MURIATICI	— 1,686 — 1,850 — 1,330 — 0,899 — 0,785.
	Sic

5r) CRELL *Chemische Annalen* 1791, II B, p. 326, 404. 1793 I B, p. 36, 113.

Sic KIRWANO, ut & plurimis aliis scrutatoribus, quodammodo confirmata esse videbatur regula BERGMANNI supra memorata, quoque respicerentur singulorum acidorum cum diversis basibus coniunctiones. Minus vero eidem congruens fuit ratio diversorum acidorum unamquamque basis saturatium. Una namque singulæ baseos pars sequentes posicit e diversis acidis quantitates, scilicet

	<i>ex acido sulphurico, acido nitrico, acido muriatico</i>			
POTASSÆ:	—	0,831	—	0,593
SODÆ:	—	1,277	—	0,7519
AMMONIACÆ:	—	2,026	—	1,2725
CALCIS:	—	1,106	—	0,5394
MAGNESIÆ:	—	1,732	—	1,112.

Idecirco venit in mentes chemicorum, quod aliter se habent vires, quibus acida diversa cum data basi consociantur, aliter, quibus diversæ bases cum dato adunentur acido. Atque ita demum conciliandas esse autemavit DE MORVEAU chemicorum theorias, ut statuatur *fortius acidum, ad sui saturationem, minorem poscere basis quantitatem quam debilius, atque e contrario datum acidum tanto majorem basis quantitatem, ad saturationem sibi adsciscere quanto major sit harum substantiarum affinitas* (55).

Extensiorem adhuc & operosiorem laborem suscepit cel. J. B. RICHTER, qui cum, nulli parcens curæ, eniteretur, ut ad geometricam certitudinem redderet scientiæ chemicæ dogmata, rigore formularum geometricarum definire voluit proportiones substantiarum sese mutuo appetentium & inter se saturandarum. Indubitate constantem esse posuit in chemicis coniunctionibus, æque ac in mechanicis corporum actionibus, eam legem,

---

55) Grundsätze der chemischen Affinität oder Wahlausziehung, Berlin, 1794. S. 284.